



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

1 Vtrum ex sacramentis causetur character aliquis in anima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

singulis sacramentis, vel sacrificijs promittebatur remissio omnium peccatorum, sed quaedam peccata dicebantur tolli quibusdam sacrificijs, quaedam vero alijs, cum tamen in vera remissione culpe mortalis nunquam vna sine alia remittatur, & ideo Propheta alijs in locis, reiectis illis sacrificijs, interiori animi contritionem & commutationem requirebant ad consequendam veram remissionem peccatorum, & hoc ipsum significavit Paulus vocans omnes iustitias carnis. Secundo dicitur, illa sacrificia hominibus nondum iustificatis per contritionem potuisse valere ad remissionem peccatorum obtinendam per modum imperationis: Ad quod multum etiam iuuare poterat oratio sacerdotis, ad impetrandum scilicet à Deo auxilium & motum cordis, quo remitterentur peccata, vt docuit D. Th. 1. 2. quaest. 103. art. 2. & Cano 12. de locis, c. 13. ad 9. hominibus autem iam iustificatis prodesse poterant ad satis faciendum pro peccatis quoad temporales poenas, non quidem ex opere operato, vt videtur sensisse Alexander Ales. m. 4. art. 3. sed ex opere operantis, vt recte docuit D. Tho. in 4. distinct. 1. quaest. 1. art. 5. quaestiu. 2. ad 2. & ex dictis satis constare potest. Atque eodem modo exponenda sunt testimonia Sanctorum ibi citata, sufficienter enim intelliguntur de fructu ex opere operantis, neque aliud probat congruentia ibi adducta.

Q V A E S T I O LXIII.

De effectu sacramentorum, qui est character in sex articulos diuisa.



EINDE considerandum est de alio effectu sacramentorum, qui est character.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo, vtum ex sacramentis causetur character aliquis in anima.

Secundo, quid sit ille character.

Tertio, cuius sit character.

Quarto, in quo sit, sicut in subiecto.

Quinto, vtum insit indelebiliter.

Sexto, vtum omnia sacramenta imprimant characterem.

ARTICVLVS I.

Verum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima.

7. 1. q. 1. 214. q. 1. c.

1. p. 9. 23. art. 3.

Lib. 2. circa prin. 10. 3.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non imprimat aliquem characterem in anima. Character enim significare videtur quoddam signum distinctiuum. Sed distinctio membrorum Christi ab alijs, fit per aeternam praedestinationem, qua non ponit aliquid in praedestinato, sed solum in Deo praedestinate, vt in prima parte habitum est. Dicitur enim 2. Timot. 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sunt eius. Ergo sacramenta non imprimunt characterem in anima.

2. Praeterea, character signum est distinctiuum, signum quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Nihil autem est in anima, quod aliquam speciem sensibus ingerat: Ergo videtur, quod in anima non imprimatur aliquis character per sacramenta.

3. Praeterea, sicut per sacramenta nouae legis distinguitur fidelis ab infideli, ita etiam per sacramenta veteris legis: sed sacramenta veteris legis, non imprimebant aliquem characterem in anima, vnde & dicuntur iustitiae carnis secundum apostolum ad Hebraeos 9. Ergo videtur, quod neque sacramenta nouae legis imprimunt characterem.

SED contra est, quod apostolus dicit 2. ad Corinth. 1. Qui vnxit nos, Deus est. & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Sed nihil aliud importat chara-

cter, quam quandam signationem. Ergo videtur, quod Deus per sacramenta nobis suum characterem imprimat.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex predictis patet sacramenta nouae legis, ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata & ad perficiendum animam in his, quae pertinent ad cultum Dei, secundum ritum Christianae vitae. Quicunq; autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari, sicut milites, qui ad scribentur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali characterem insigniantur. Vnde Augustinus dicit in secundo contra Parmenianum. Si militiae characterem in corpore suo, non militans pauidus exhibuerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa, & impetrata iam venia militare ceperit, numquid homine liberato atq; correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? an forte minus harent sacramenta Christiana, quam corporalia haec nos?

AD primum ergo dicendum, quod fideles Christi ad primum quidem futurae gloriae deputantur, signaculo praedestinationis diuinae. Sed ad actus conuenientes praesentiae Ecclesiae deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, qui character nuncupatur.

AD secundum dicendum, quod character anima impressus, habet rationem signi, in quantum per sensibile sacramentum imprimitur, per hoc enim sicut aliquis esse baptismali characterem insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. Nihilominus tamen character vel signaculum dici potest per quandam similitudinem, omne quod configurat alicui, vel distinguit ab alio, etiam si non sit sensibile, sicut Christus dicitur figuram vel characterem paternae substantiae, secundum apostolum Hebr. 1.

AD tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, sacramenta veteris legis non habebant in se spirituales virtutes, ad aliquem spirituales effectum operantem. Et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character, sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio, quam apostolus signaculum nominat, Rom. 4.

COMMENTARIVS.

TITULUS huius articuli, vt recte Caieta. notat, indefinite, prout sonat, intelligendus est: non enim de omnibus sacramentis vnuerfaliter, nec de aliquo in particulari ac definite quaestio proponitur, sed absolute & confuse de sacramentis nouae legis. Rursum oportet aduertere, nomine characteris significari, signum, seu sigillum, quo solet signari res aliqua, vel vt cognoscatur, & ab alijs distinguatur, quomodo solet signari feruus, aut ouis, characterem proprio domini sui, vel vt in pretio habeatur, quo modo signatur pecunia sigillo regio, vel vt ad aliud munus deputeur, quo modo milites characterem militari insigniuntur, & hoc modo accipitur in scriptura character Antichristi pro signo, quo ille sigillabit sectatores suos. Apocal. 13. 14. & sequentibus. Atq; in hac propria significatione accipi in praesenti constat, tam ex proprietate vocis, quam ex vsu omnium. Verum est vocem characteris communiter significare signum sensibile, quia haec vox primum est imposita ab hominibus, qui sensibilibus signis vtuntur. Hic vero sumitur pro signo seu characterem spirituali, quo signantur animae Christianae per Christi sacramenta.

Respondet ergo D. Thom. per sacramenta Christi imprimi in anima spirituales characterem. Quae conclusio in argumento. Sed contra, probat ex Paul. 2. ad Corinth. 1. dicente. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris: Quod testimo-

testimonium est valde probabile, quatuor enim divini effectus à Paulo ibi distinguuntur, primus est fidei, qua firmamur in Christo. Secundus est charitatis & gratiæ, qua vngimur. Tertius est pignus Spiritus, quod est testimonium bonæ cōscientiæ. Quartus ergo, qui continetur in illis verbis: Qui & consignavit nos: debet esse effectus distinctus à reliquis, & non potest melius interpretari, quam de characterē, quo Christo consignamur. Dices, ipsemet Baptismo signari fideles, nec esse necessarium alium characterem. Respondet Ambros. 1. de Spiritu sancto cap. 6. Et si specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur: nam illud signum sensibile, quod est Baptismus, non est tam proprius effectus Spiritus sancti, sicut est spirituale signum, quod animæ imprimitur, unde sicut alia omnia, quæ ibi numerantur à Paulo, sunt interna & spiritualia, ita & consignatio: Et ita obiter explicata manet congruentia D. Thom. Dixit autem prædictum testimonium esse probabile, quia optime & accommodatissime prædicto modo exponitur, non tamē est per se sufficiens ad continuendum proterum, quia multi Patres intelligunt aliter illum locū. Ansel. Signum crucis tantum intelligitur, quod nostris frontibus Deus imposuit, & per illud ab infidelibus distinxit. Apparentior est aliorum expositio, qui dicunt illam cōsignationem fieri per gratiam sanctificantem, & indicant per illa tria. Qui vñxit, signavit, & dedit pignus Spiritus, eandem gratiā significari, illa enim vngimur, & in filios Dei signamur, & pignus est atq; arrha gloriæ futuræ, ita fere Chrysostomus. Theodorus, Theophylactus & Oecumen. Inducitur etiam in commentarijs, quæ Hieronym. tribuuntur, & D. Tho. in Paul. quamvis de signo fidei & crucis etiam exponat, magis tamen approbat expositionem de signo gratiæ, quam etiam sequitur Ambros. ibi dicens, Vñxit nos spirituali vñctione, & signavit nos, dando Spiritum suum nobis, pignus, vt non ambigamus de promissis eius. Et in prædicto lib. de Spiritu sancto. Sancto (inquit) Spiritu signati sumus à Deo, sicut enim Christo morimur, vt renascamur: ita etiam Spiritu signamus, vt splendore atq; imaginem eius tenere possimus, quod est vtiq; spirituale signaculum. Quamquam hæc verba Ambrosij recte possunt intelligi, ita vt inter hoc signum, & gratiam distinctionem faciat: non enim dicit, signari nos per gratiam, sed signari, vt gratiam tenere possimus, quod est proprium characteris baptismalis: illo enim signamur, vt efficiamur capaces gratiæ, quæ per Baptismum datur: est ergo valde probabilis prima expositio huius loci, & aptior ad distinguendum illa tria, quæ Apostolus annumerat.

ARTICVLVS II.

Utrum character sit spiritualis potestas.

4. dist. 4. q. 2. art. 1.
AD secundum sic proceditur. Videtur, quod character non sit spiritualis potestas. Character enim idem videtur esse quod figura, vnde Hebr. corum i. vbi dicitur. Figura substantiæ eius, in Greco habetur loco figura, Character. Sed figura est in quarta specie qualitatis, & ita differt à potestate, quæ est in secunda specie qualitatis: Character ergo non est spiritualis potestas.

cap. 1. eccl. Hier. par. 3. parum ante med.
 2. Præterea Dionys. * dicit 2. cap. Eccles. Hier. quod diuina beatitudo accedentem ad beatitudinem in sui participationem recipit, & proprio suo lumine, quasi quodam signo ipsi tradit suam participationem. Et sic videtur, quod character sit quoddam lumen. Sed lumen ad tertiam speciem qualitatis videtur pertinere. Non ergo character est potestas, quæ videtur ad secundam speciem qualitatis pertinere.

3. Præterea, A quibusdam character sic desinitur. Character est signum sanctum communionis fidei & sanctæ ordinationis, datum ab Hierarcha. Signum autem est in genere Franc. Suarez. Tom. 3.

relationis, non autem in genere potestatis: Non ergo character est spiritualis potestas.

4. Præterea potestas habet rationem causæ, & principij, vt patet 5. Metaph. * sed signum quod ponitur in definitione re. 17. 10. 1. characteris magis pertinet ad rationem effectus. Character ergo non est spiritualis potestas.

SED contra est quod Philosophus * dicit in 2. Et hic. Tria sunt in anima, potentia, habitus & passio. Sed character non est passio, quia passio cito transit, character autem indelebilis est, vt infra dicitur. * Similiter etiam non est habitus, quia nullus habitus est, qui se possit ad bene & male habere. Character autem ad vtrumq; se habet, vtuntur enim eo quidam bene, alij vero male: Quod in habitibus non contingit, nam habitu virtutis, nullus vititur male, & habitu malitiæ, nullus bene: ergo relinquitur, quod character sit potentia.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est sacramenta noue legis, characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ religionis. Vnde Dionys. * in 2. cap. Eccles. Hierar. cum dixisset, quod Deus in quodam signo tradit sui participationem, accedenti ad Baptismum subiungit perficiens eum diuinum & communicatorem diuinorum. Diuinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo alijs. Ad vtrumq; autem horum requiritur quedam potentia: nam ad tradendum aliquid alijs requiritur potentia actiua, ad recipiendum autem requiritur potentia passiua. Et ideo character importat quandam patientiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt diuini cultus. Sciendum tamen, quod hæc spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supra dictum est de virtute, quæ est in sacramentis habere enim Sacramenti characterem competit ministris Dei. Minister autem habet per se modum instrumenti, vt Philos. * dicit in 1. Polit. Et ideo sicut virtus quæ est in Sacramentis: non est in genere per se, sed per reductionem, eo, quod est quidam fluens & incompletum, ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

AD primum ergo dicendum, quod figura est quedam terminatio quantitatis: vnde proprie loquendo non est nisi in rebus corporeis, in spiritualibus autem dicitur metaphorice. Non autem ponitur aliquid in genere, vel specie, nisi per id, quod de eo proprie predicatur. Et ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis, licet hoc quidam posuerint.

AD secundum dicendum, quod in tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passionēs, vel sensibiles qualitates. Character autem non est lumen sensibile, & ideo non est in tertia specie qualitatis, vt quidam dixerunt.

AD tertium dicendum, quod relatio, quæ importatur in nomine Signi, oportet quod super aliquid fundatur. Relatio autem huius signi, quod est character, non potest fundari immediate super essentiam animæ, quia sic conueniret omni animæ naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio, & hoc est essentia characteris. Vnde non oportebit, quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt.

AD quartum dicendum, quod character habet rationem Signi per comparationem ad sacramentum sensibile, à quo imprimitur, sed secundum se consideratus, habet rationem principij per modum iam dictum. * In corp. art. & ar. præc.

COMMENTARIVS.

Circa titulum potest in primis dubitari: cum D. Thom. præcedendo articulo supposuerit, characterem esse signum, quod necesse fuit inquirere, an sit potestas: aut quomodo hæc cohereant: esse signum & esse potestatem. Vt hoc ergo explicetur, obseruandum est, in omni signo distinguendam esse relationem seu denominationem signi à fundamento, seu re, quæ ad significandum imponitur: character ergo non potest significare solum relationem vel denominationem, sed rem aliquam, quæ animæ imprimitur cum tali impositione seu denominatione: Quid importet characterem, expōnunt.

